



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Cursus Theologicus**

**Gormaz, Juan Bautista**

**Augustae Vindelicorum, 1707**

Sect. 1. De Beatitudine naturali,

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81950](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81950)

Ita Ex. Doct. in 1. 2. tom. tr. 1. disp. 4. sect. 3. & tom. 1. de Gratia Proleg. 4. c. 1. Fonseca 1. Metaph. c. 1. q. 2. sect. 3. Rainaud. tom. 1. discipl. mor. disp. 1. q. 4. Ant. Perez in prinam partem disp. 2. c. 1. §. 3. Maur. 1. 2. tom. 6. q. 47. & communiter Recentiores. Pro resolutione sic

## SECTIO I.

## De Beatitudine naturali.

105. **A** Sfero cum secunda sententia. Possibilis est beatitudo naturalis correspondens statui puræ naturæ. Probat. 1. Deus ut author naturæ non minus est potens satiari innatum appetitum puræ naturæ, quam ut author gratiæ sit potens satiari appetitum innatum ipsius gratiæ; aliter non esset perfectus author naturæ: sed Deus satiando innatum gratiæ appetitum confert beatitudinem supernaturalem; ergo satiando appetitum innatum naturæ conferret beatitudinem naturalem; ergo sicut possibilis est respectu naturæ elevata beatitudo supernaturalis; ita possibilis est respectu naturæ puræ beatitudo naturalis. Conf. Omnes causæ secundæ naturales habent innatum appetitum, & inclinationem ad suum finem naturalem, quo obtento naturaliter quiescunt: sic lapis quiescit naturaliter in centro deorsum: & ignis in centro sursum; aliter non esset natura bene ordinata, si nullum finem sui innati appetitus haberet: ergo & natura rationalis habet innatum appetitum, & inclinationem ad suum finem naturalem, quo obtento naturaliter quiescat: sed talis finis est beatitudo naturalis; ergo &c.

106. Probat. secundò. Possibilis est scientia naturalis abstractiva DEI indita ab auctore naturæ, qua natura ita perfecte contempletur sui auctoris perfectiones, ut necessarium, & spontaneè in illius ferventissimum amorem prorumpat: ac proinde sit radix virtutum moralium, & totius rectitudinis naturalis voluntatis: exindeque maneat voluntas impossibilis in perpetuum cum peccato, & libera ab omni miseria: & quidem evidens est, id non repugnare, si DEUS in præmium meritorum naturalium hæc omnia promittat. Neque assignabilis est repugnantia ulla, ne promittere possit; atqui hoc sufficiens est ad beatitudinem naturalem, ut ex terminis constat, & docet Augustinus lib. 13. de Trinit. cap. 3. dicens: *Beatus igitur non est, nisi qui & habet omnia, quæ vult, & nihil vult male.* Et Epist. 123. *Ille igitur beatus est, qui omnia, quæ vult, habet: nec aliquid vult, quod non decet;* ergo &c.

107. Probat. 3. Ad beatitudinem naturalem sat est ea felicitas, quæ licet non expleat capacitatem, explet tamen totum appetitum innatum naturæ, quo naturaliter in finem suum inclinatur: atqui ea felicitas descripta num. superiori explet totum appetitum innatum naturæ, quo naturaliter in finem suum inclinatur; ergo ea felicitas est beatitudo naturalis:

ac proinde cum ea felicitas non repugnet, neque naturalis beatitudo repugnabit. Probat. min. Licet natura habeat capacitatem ad terminum entitativè, & quoad substantiam supernaturalem: attamen nequit innatè appetere illum; solùmque potest innatè appetere terminum naturalem: sic cæcus à nativitate appetens innatè videre, non appetit visionem entitativè supernaturalem, sed specificativè, & entitativè naturalem, & quæ à causis naturalibus potuit induci juxta dicta num. 79. Sic aqua non appetit innatè frigiditatem supernaturalem, sed naturalem, quod idem est de reliquis omnibus exigentiis rerum naturalium, si à præsentibus quæstione præcindamus: atqui beatitudo facialis, quæ est visio intuitiva, & possessio filiorum DEI ex dictis à num. 66. est entitativè supernaturalis; ergo pura natura ad explendum innatum suum appetitum hanc facialem beatitudinem non exigit; ergo ad explendum ejus appetitum innatum assignanda est felicitas naturalis: sed nulla alia congruentius assignari potest, quam ea felicitas à nobis descripta n. superiori; ergo &c.

Respondebis cum aliquibus Recentioribus: in pura natura nullum adesse appetitum innatum exigentiæ ad beatitudinem supernaturalem: adesse tamen appetitum innatum indigentiam, cum rationalis natura indigeat beatitudine, in qua appetitus innatus ipsius quiescat; quæ nulla alia est, præter visionem intuitivam. Neque rationalis natura, inquit, est imperfectè constituta, quamvis ipsi non debeatur media ad eam beatitudinem consequendam; sat enim est ad perfectam illius constitutionem, quod eam beatitudinem possit obtinere auxilio Dei: quæ expressa est doctrina D. Thomæ 1. 2. quæst. 2. art. 5. ubi hæc habet: *Ad secundum dicendum, quod nobilioris conditionis est natura, quæ potest consequi perfectum bonum, licet indigeat exteriori auxilio ad hoc consequendum, quam natura, quæ non potest consequi perfectum bonum, sed consequitur quoddam bonum imperfectum, licet ad ejus consecutionem non indigeat exteriori auxilio, ut Philosophus in 2. de Cælo dicit: Sicut melius est dispositus ad sanitatem, qui potest consequi perfectam sanitatem, licet hoc sit medicina, quam qui solùm potest consequi quoddam imperfectum sanitatem sine medicina auxilio; & ideo creatura rationalis, quæ potest consequi perfectum beatitudinis bonum indigens ad hoc divino auxilio, est perfectior, quam creatura irrationalis, quæ hujusmodi boni non est capax, sed quoddam bonum imperfectum consequitur virtute sua natura.*

Multa invenio in hac responsione, quæ omnino displicent. Quapropter contra primò. Nullus datur appetitus indigentiam ad bonum, quin debeatur media appetenti ipsius naturæ proportionata ad tale bonum consequendum, ut num. 79. Sed puræ naturæ non sunt possibilia media ipsi debita, &c.

proportionata ad obtinendam beatitudinem supernaturalem; ergo pura natura non habet appetitum indigentiae ad beatitudinem supernaturalem: atque adeo ut sit perfecte constituta, solum potest habere appetitum indigentiae ad naturalem beatitudinem. *Contra 2.* Et utor eodem D. Thomae exemplo, quod si bene percipiatur, non quidem adversarius, sed nobis faver: etenim ille infirmus dicitur melius dispositus ad sanitatem, qui licet indigeat auxilio medici, potest obtinere sanitatem per media natura non indebita; si enim solum posset obtinere supernaturaliter sanitatem, non exinde diceretur melius dispositus ad sanitatem, quam ille, qui per media naturalia perfectam sanitatem posset obtinere: ergo ut pura natura sit perfecte constituta in sua linea ad habendam beatitudinem, non fac est, quod eam possit habere supernaturaliter, sed potius requiritur, quod per media naturalia ipsi non indebita, possit beatitudinem obtinere.

110. *Contra 3.* Pura capacitas, & appetitus indigentiae non sibi ad invicem correspondent: potest enim dari pura capacitas; quae appetitus indigentiae non fit, ut patet in humanitate capaci unionis hypostaticae, quae quidem ad eam unionem nullum habet appetitum innatum indigentiae; ergo licet natura pura rationalis ratione capacitatis, quam habet, ut eleveur ad obtinendam beatitudinem supernaturalem, perfectior sit altera natura ad talem beatitudinem incapaci, non exinde attribui potest pura rationali naturae appetitus innatus indigentiae ad beatitudinem supernaturalem. *Contra 4.* Nequit Deus ex parte sui creaturam rationale imperfecte, & improvide producere; aliter non esset perfectus artifex, contra illud Deuter. 32. *Dei perfecta sunt opera.* Atqui si esset impossibilis purae naturae finis, & beatitudo naturalis, solumque posset habere finem supernaturalem, esset pura rationalis natura imperfecte producta, cum in eo statu essent impossibilia media ad eum finem obtinendum: essetque multo magis misera, quam aliae creaturae irrationales, quae in linea sua possent obtinere finem suum. Quinimodo homo in pura natura productus, cum peccare posset, aeternam quoque posset obtinere miseriam, quin per bona opera, licet nullum peccatum committeret, obtinere posset ullam beatitudinem; ergo &c.

111. *Probat. 4.* Homo in statu purae naturae conditus haberet appetitum innatum ad finem suum; quaecumque enim res utpote ordinata a Deo producta constitutum habet finem suum, in quo quiescat: atqui terminus illius appetitus innati non esset beatitudo supernaturalis, sed naturalis; ergo in statu purae naturae possibilis est beatitudo naturalis. Consequentia tenet, & major admittitur ab adversariis. Minor verò probatur. Appetitus innatus, quem haberet in statu purae naturae ad suam beati-

tudinem, non esset supernaturalis, sed naturalis, utpote cum ipsa pura natura identificatus, ut adversarii faterentur, & constat à num. 107. Ergo terminus illius appetitus, qui quidem esset beatitudo, non esset supernaturalis, sed naturalis. Patet consequentia. Quia appetitus, & terminus appetitus sibi ad invicem referuntur; ergo si appetitus innatus, quo homo appeteret, esset naturalis, beatitudo, quam appeteret, esset etiam naturalis. *Conf.* In eo distinguitur appetitus innatus ab appetitu elicito, vel à pura capacitate, quod pura capacitas potest esse ad rem indebitam, ut patet in pura natura respectu unionis hypostaticae: appetitus autem elicitus potest esse ad rem impossibilem; sic Lucifer appetebat exaltare solium suum super ipsum thronum Dei: at appetitus innatus distinguitur ab elicito; quia non est ad rem impossibilem; & distinguitur à pura capacitate, quia non est ad rem indebitam, atque adeo est ad rem possibilem, & sibi debitam; atqui naturalis appetitus innatus ad beatitudinem sibi debitam, nequit esse appetitus ad beatitudinem supernaturalem; ergo ad naturalem.

*Probat. 5.* Ad beatitudinem rationalis naturae non requiritur omne illud, quod melius se haberet; aliter nullus in caelis haberet beatitudinem, cum privatus esset nobiliori, & intensiori visione, intuitione, amore, & gaudio, quorum est capax; neque ulla pura creatura beatitudinem haberet, cum privata esse possessione physica Dei per identitatem suppositi, cuius est capax. Unde beatitudo naturae rationalis ea est, quae perpetuam affert felicitatem statui naturae, sive purae, sive elevatae proportionatam; ergo sicut est beatitudo supernaturalis ea, quae natura rationalis elevatur ad aeternam felicitatem sibi indebitam excludentem omnem miseriam; ista erit beatitudo naturalis ea, quae pura natura haberet perpetuam felicitatem sibi debitam, & excludentem omnem miseriam: atque adeo in statu purae naturae possibilis esset beatitudo naturalis. *Conf.* Ille est beatus, qui habet omnia necessaria ad aeternam felicitatem, licet careat non necessariis, sed pure deliciosis: haec enim non deserviunt ad necessitatem vitae, ideoque non sunt necessaria ad quietem, & sine dolore vivendum: natura enim ut quiete, & sine dolore vivat, paucis contenta esset; atqui si ad quiete, & sine dolore vivendum indigeret intuitiva Dei possessione propria filiorum Dei, dici non posset paucis contenta. Quis enim dicat, servum paucis esse contentum, si contentus non sit, usque dum habeat ea, quae sunt propria filii; ergo &c. *Ex dictis*

*Fit 1.* Beatitudinem rationalis creaturae nequaquam posse reperiri, nisi in Deo possesso. Ratio est, quia vel est beatitudo, & ultimus finis naturalis: vel beatitudo, & ultimus finis supernaturalis: atqui quaecumque beatitu-

do sit, debet includere Deum possessum, ut constar à n. 15. & 32. Etenim si est beatitudo naturalis, includit Deum naturaliter possessum, per scientiam nimirum, & amorem naturales; si autem sit beatitudo supernaturalis, includit Deum possessum per amorem, & intuitionem supernaturales; ergo &c. Fit 2. Possessionem intentionalem Dei, habitam sive per scientiam naturalem, sive per intuitionem supernaturalem, vocari Dei visionem, prout hæc præscindit ab intuitiva, & ænigmatica: atque adeo seclusa visione Dei, nullam esse possibilem creaturæ beatitudinem. Ratio est, quia in Scripturis scientia illa abstractiva, & intuitiva Dei vocantur visio Dei; ista quidem facialis: illa verò ænigmatica. Sic Paulus 1. Corinth. 13. *Videmus nunc per speculum in ænigmatate: tunc autem facie ad faciem.* Quapropter visio facialis dicitur propria possessio filiorum DEI: visio verò ænigmatica vocatur possessio propria servatum, ut infra constabit, & diximus à n. 60.

114. Fit 3. Cognitionem ænigmaticam, quam viatores habent de Deo, non necessitare ad amorem Dei, eo quod non proponat ex parte objecti puram bonitatem absque exclusione omnis malitiæ; proponit enim difficultatem, & arduitatem, quam debemus pati, ut Deum obtineamus, ratione cujus voluntas potest se retrahere ab amore Dei. Cognitionis verò ænigmatica, quæ rationalem creaturam in centro suæ naturalis beatitudinis constitueret, repræsentaret Deum, ut jam possessum, semperque possidendum, quin ullam arduitatem, aut ullum malum repræsentaret incurrendum, ut ad possessionem summæ illius bonitatis accederet. Cum autem summa bonitas absque ulla mixtura malitiæ ex parte objecti à cognitione tacti repræsentata necessitet ad amorem, ut patet in actibus primò primis. Exinde creatura rationalis in suo naturali centro constituta, maneret necessitata ad DEI amorem. Si enim quævis res, licet inanimata, ut ignis, lapis, & sic de aliis, in centro suo quiescunt, neque molestiam, aut malum ullum experiuntur, quomodo rationalis natura in centro suo constituta non ita quiesceret? Inter cognitiones enim ænigmaticas dantur speciei diversæ, vel ratione nobilitatis, ut patet in actu fidei, quo Deum ænigmaticè cognoscimus, ut docet Paulus num. superiori. Et tamen distinguitur specie ab aliis actibus ænigmaticis; vel ratione diversæ tendentiæ, cum alter sit iudicium indifferens, ut patet in actu constitutivo nostræ libertatis; alter absq; in differentia, ut patet in cognitione prævia ad actus primò primos; qui ex hoc titulo excusantur à Theologis à peccato formalis. Cæterum de his latè à num. 173. Ubi agemus, de appetitu elicitivo;



## SECTIO II.

## Solvuntur opposita.

Objic. 1. D. Thomas 1. Part. quæst. 12. art. 1. ait: *Cum enim ultima hominis beatitudo in altissima eius operatione consistat, quæ est operatio intellectus; si nunquam essentiam Dei videre potest intellectus creatus, vel nunquam beatitudinem obtinere poterit, vel in alio eius beatitudo consistet, quam in Deo: quod est alienum à fide, & ratione; in ipso enim est ultima perfectio rationalis creature, quod est principium essendi: in tantum enim unumquodque perfectius est, in quantum suum principium attingit.* Ergo ex D. Thoma non est possibilis alia hominis beatitudo, nisi supernaturalis. Confirm. 1. Ex eodem D. Thom. lib. 3. contra gentes c. 1. dicente: *Institutum esse homini naturale desiderium videndi primam omnium causam.* Ac proinde creaturam rationalem quousque Deum videat, prout est in se, necessario manere semper inquietam. Unde etiam probat visionem Dei esse possibilem, ne alibiqui dicatur inane esse desiderium naturæ. Quod etiam habet 1. Part. quæst. 12. art. 1. dicens: *Inest homini naturale desiderium cognoscendi causam, cum intuetur effectus; ergo &c.*

Conf. 2. Ex eodem D. Thoma 1. 2. q. 3. 114. Ubi per varios articulos probat, beatitudinem hominis nisi imperfectam, & aliqualem, non posse consistere in scientiis speculativis, aut in cognitione substantiarum separatarum, scilicet angelorum; & exinde concludit ad perfectam beatitudinem requiri, quod intellectus pertingat ad ipsam essentiam primæ causæ, & sic perfectionem suam habeat per unionem ad Deum, sicut ad objectum, in quo solo beatitudo hominis consistit; ergo ex D. Thoma nulla alia est possibilis beatitudo hominis, nisi supernaturalis, & intuitiva. Resp. conc. ant. & neg. conf. Quasi intellectus creatus nunquam Deum videre posset, non posset habere defacto visionem intuitivam, neque de possibili in pura natura habere posset visionem ænigmaticam; hoc enim est contra rationem, ut probavimus à n. 105. Illud autem est contra fidem, quæ docemur, beatos facie ad faciem videre Deum, ut constat ex n. 113. Unde negare, quod creatura rationalis possit Deum videre, & est in uno sensu contra rationem, & in altero sensu contra fidem. Sed quid inde contra nos.

Ad primam confirmationem dist. ant. cognoscendi causam, quando cognoscit effectum modo proportionato exigentiæ causæ, conc. modo indebito, & in proportionato, neg. ant. & conf. Etenim rationale desiderium creaturæ; de quo loquimur, non potest se extendere ad cognoscendam causam modo sibi impossibili, aut profusus indebito: sed modo sibi debito, & possibili, ac proinde in pura natura omnino quiesceret, dummodo cognosceret DEUM modo sufficienti ad puræ naturæ felicitatem. In statu